



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

Septem Dormientes. 27. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

deprehendit. Refectum denique caput
lactis liquorem; & Oleaster ad quem
vinctus Martyr steterat, subitas frondes
dare visus est. Voluit Herculum suum
coronare. *Ex Metaphr.*

SEPTEM DORMIENTES. 27. Iulii.

INGENS hi sancti Ecclesie negotium
etiam DORMIENTES contecerant
VII. erant omnes germani fratres, quos
Decius a patre fide minimè paternā
proditos obstructo spelæo conclusit.
Iverant secula jam duo & ampliùs,
quando hæresis ab orco surrexit, quæ
surrecturos olim a tumulo mortuos
negavit. Somnium hoc esse, VII. hi,
quos DORMIENTES dicimus, mon-
strarunt, qui tum in tempore sive a
morte longâ, sive somno prodierunt.
Illi noctem se unam dormisse rati De-
cium adhuc somniabant. Quare MAL-
CHVM ex suo numero adolescentem,
quem ætas & morum suavis elegantia
omnibus charum fecerant, explorato-
rem in urbem mittunt & comœtati
præficiunt. Hic dum vigilare pro urbe
Crucem videt, dum nullum tonare lo-
vum sed CHRISTVM audit, mirari
unius noctis metamorphosin, & vel
adhuc dormire, vel in alterum orbem
aut certè urbem delatum se credere.
Mox cum monetam antiquitate suâ
incognitam protulisset, suspicionem
reper-

reperi thesauri dedit. Hic ille apud Procos: ad Decium provocare, qui utiq; nosset adhuc, quem heri unà cum fratribus, quòd CHRISTO militarent, balteo spoliasset. Obstupuit ad hæc urbis Antistes, & MALCHVM ad montem secutus è ruderibus æneas laminas, cum his rem omnem in lucē profert. Adest ipse Imp. Theodosius, quo spectante beati juvenes eodē loco longius jam dormituri oculos morte clauerunt: sed cum sic mortuis etiam hæresis est mortua. *Ex variis apud Raderum in Aula S.*

SS. NAZARIUS ET CELSVS MM.

28. Iulii.

HOs etiam flosculos barbarus Nero nis gladius demessuit. Sed tamen sanguine suo rigati vivunt illi etiamnum in manibus tuis. Utinam & odorem virtutis sentias. Audi saltem. Spinæ rosam esse proximam ajunt, id quod NAZARIUS probat ex Iudæo patre sed matre Christianâ genitus. Anceps diu in utrius religionem pedibus iret, demonstravit tandē plus matris se bibisse, fontiq; sacro admotus à Lino Pont, Mediolanum abiit. Ibi non multo tempore patrimonium omne in egenos effudit, cumq; victis pro Christo animū faceret, mercedem nobilem magnique martyribus asti-

D d 2 matam